

11.52  
: 5  
INAUGURALIS

De

UTERI PROLAPSU  
DISSERTATIO.

Quam,

Saluberrimæ Facultatis indultu,

PRÆSIDE

Magnifico, Excellentissimo atq; Experientissimo

VIRO

DN. GOTTFREDO Welschen /

Phil. & Medic. Doct. Pathol. Prof. Publ. Facult. Med. Sen,

Colleg. Major. Principp. Collegiatio, Acad. Decem - Viro,

Reipubl. Patriæ Physico ordinario, & h. t.

ACADEMIÆ RECTORE,

Domino, Patrono & Promotore suo maximo,

PRO

LICENTIA

Summos in ARTE MEDICA honores impetrandi,

ad d. 16. Martii 1666.

publicè fiet,

M. JEREMIAS LOSSIUS, Bornensis.

Ampliss. Facult. Philos. Jenens. Adjunctus &


Medic. Baccalaur.

---

LIPSIÆ

Typis JOH. WITTIGAU,

Digitized by Google



## CAPUT I.

### §. 1.



On diu hærebimus in portu, sed navim conscensuri illicò tractationis mare sulcabitur Præsertim cùm circa nominis enucleationem pauca reperiantur digna memoratu. Ut pauca saltim addam, dicitur *uteri prolapsus* à parte affecta, utero, qui prolabitur. *Uterus* dicitur *Plinio l. 11. cap. 37. ab utre*, quod tamen non probatur *Lindano Physiol. Med. c. 7. artic. 10. p. 296.* qui magis inclinatur ad conjecturam acutissimè

*Soaligeri l. 2. Hist. anim. c. 2. text. 22. deducens ab æolico ἔπιος quasi ὀ ἐπιος alter venter.* Utenim primus venter ad individui, ita alter ad speciei facit conservationem. Græcis *ὕπερος* dicitur *διὰ τὸ ἐξ ἄτην κείου τῷ ἀπλάγχων, ἐι μὴ πρὸς ἀκρῆσειαν, ἀλλὰ κατὰ πλάτος*, ut inquit *Soranus πρὸ μήτεος.* *Vulva* ab antiquissimis Auctoribus, *Varron. l. 2. de re rustic. Fulgent. de incarnat. verbi c. 3. Plin. l. c.* dicitur àvolvendo, quòd fœtum involvat. Unde non video cur *Hoffmanno l. 2. Instit. c. 44. §. 1.* odiosa vox sit, nisi propter abusum.

§. 2. *Prolapsus uteri*, procidentia aliis, Arabibus præcipitatio dictus, nihil aliud est, quàm *mutatio situs naturalis uteri deorsum versus pudenda, nonnunquam etiam extra pudenda, ob laxationem vel rupturam ligamentorum superiorum facta.*

§. 3. *Forma*, quæ generis loco ponitur, est mutatio situs uteri. Unde tam facili ac vulpes pyrum comest, dici poterit, passionem hanc non *sientem sed factam*, & de illarum affectionum genere, quæ primò & per se lædunt actionem, non *cause, non symptomatis, sed morbi rationem* subire. Et pertinet ad *morbos conformationis in situ.* Ubi illicò notandum simul erit hunc morbum quibusdam in locis esse *endemium.* Novit enim *Rondeletius* pagum in Provincia quadam, in quo omnes mulieres *Uteri procidentia* laborant & concipiunt,

§. 4. *Essē mutationem situs naturalis* patet exinde, quod uterus naturaliter in media parte hypogastrii, μέσον ἀρχῆς τῆ καὶ κύσεως κείτης medium inter intestinum rectum & vesicam jacet, ut inquit *Pollux*. Inter cetera scil. & urinam. In prolapsu autem mutetur, & in vaginam, sæpe etiam extra pudenda prolabatur.

§. 5. Subjectum *πρῶτον* seu id quod representat hunc affectum, est *sexus muliebris*, tam mulieres quam virgines. Fœmina enim sola utero gaudet, ut possit, quemadmodum mas extra se, ita illa intra se generare.

§. 6. Subjectum autem *ὑποδοσεως* seu id, quod sustinet morbum, sive *pars affecta*, est *Uterus*, pars illa fœminis ad concipiendum data. Qui in diversas partes dividitur (1.) in *fundum*, quæ est præcipua moles corporis supra cervicem, & sua gaudet cavitate, quæ propriè *κύτος ἀπὸ τῆ κύω* concipio dicitur. Comparatur capacitati rotundæ in cucurbita, uti & totum uterum tali *σκόρα ἰντῆμῆ* *Ruffus* l. 2. c. 16. commodè comparat. (2.) in *orificium*, os uteri dictum; est pars oblonga & dura, sed angustissima instar foraminis glandis penis, vide *Barthol. Anat. reform. l. 1. c. 29. Lindan. Physiol. Med. l. c. p. 309. art. 12.* (3.) in *Vaginam*, seu *cervicem*, quæ aliàs collum magnum dicitur; & collo cucurbitæ comparatur, cavitatem illam, quæ in coitu penem recipit & ambit. Variis præterea ligamenti adnectitur, de quibus paulò post.

§. 7. *Uterus* itaque tanquam pars affecta situm mutat secundum has partes. Fit enim ut, si fundus illabatur orificio, id deprimat, orificium postea in vaginam detrusum vaginæ quoque situm mutet. Unde diversæ oriuntur prolapsus differentiæ, de quibus suo loco.

§. 8. Dum diximus, quod *deorsum* prolabatur uterus, distingvere volumus prolapsum ab aliis situs mutationibus, quæ utero accidunt. Ita enim ratione loci *fursum* quoque movetur, quem motum veteres *passionem hystericam* dixerunt; quanquam *Highmorus* aliam causam statuat, dum adserit, esse strangulationem à nimio sanguinis subtilis ac flatulenti in pulmonum vasibus cordisque thalamis in factu ortam. Sed quicquid sit, non dicam ex eo motu passionem hanc oriri, hoc tamen adserendum est, uterum fursum moveri posse, quod nonnulli negant. Nam etsi per ligamenta firmatus sit, tamen quoniam ligamenta sunt membranæ, extendi & contrahi queunt. quod tamen de aliquali saltim velim intelligatur. v. *Kyper. Medic. Contract. l. 1. p. 152.* Causam statuit *Hippocrat.* vasorum vim repletionem vim inactionem lib. de

*mulier.* ad quem v. *Maurit. Cordæum comm. 2.* Deinde etiam ad *lateralis* fit mutatio, ubi rupto uel laxato uno ligamentorum ad alterum latus declinat, vocatur aliàs reclinatio à *Mercurial. de Morb. mul. l. 4. cap. 21.* In hernia quoque uterina, *ὑπερηλή* dicta, si simul peritonæum ruptum sit uel laxatum, uterus in latera decidit. Quæ tamen rarâ admodum est, teste *Albertino Bottoni de morb. mulier. c. 69.* Ejus exemplum singulare refert *Sennert. Instit. l. 2. part. 1. c. 9.* de quo etiam scripsit *Michael Döringius in Epist. ad Guilielm. Fabric. Hildan. & aliud simul adducit ex Samuel. Meiger. Histor. Nuclei Classe 1. c. 4. de grâvida, quæ insignem tumorem in hypochondriis sensit, ut postea sectio, quæ partus Cæsareus vocatur, adhibenda fuerit. Varia etiam refert Barthol. de insolit. part. viii. quem vide sis.*

§. 9. Afficitur uterus tum per *ἰδιοπαθειαν*, tum *δευτεροπαθειαν*. Per *ἰδιοπαθειαν*, quando nimium humidus est, ut decidat propter gravitatem ab humiditate ortam. Per *δευτεροπαθειαν*, quando ab aliis partibus eò mittuntur humores. An quoque proprio motu decidat, hîc disquirendum. Notum enim est, quod *Plato* uterum animal in animalî dixerit & proprium motum attribuerit; cum quo conspirat *Helmontius de Concep. utero* peculiarem Monarchiam attribuens. Ubi dicimus, quod uterò talis non competat motus quem *Plato* fingit; ipsam Monarchiam non admittimus, nisi forte de Facultatibus animæ explicetur.

## CAP. II.

de

### CAUSIS.

§. 1. Quæ igitur CAUSA PROXIMA? est Ligamentorum superiorum laxatio & ruptio. Ligamentorum duo paria fundum uteri muniunt; unum superius dictum, *ὀκωὺς νεὼς λείβωα*, ut *Arateus l. 2. chron. c. 11.* dicit, est latum & membranosum, fundum ossibus illi adnectens; hoc ipsum si naturaliter se habet, retinet uterum, ne prolabatur, & loco freni quasi est adnatum. Alterum par est rotundum, & inferius dicitur, oritur ab utero & in partes inferiores extra septum abdominis descendit, teste *Joh. Riolano animadv. in Theat. anatom. Casp. Baubini*, ubi simul notat, eorum officium non esse, uterum suspendere ne decidat, sed potiùs retrahere, si sursum feratur. Laxatis itaque vel ruptis prioribus ligamentis, uterus privatus frenis, quoad fundum ob gravitatem in cervicem & vaginam prolâbitur.

§. 2. Dum dico Laxationem & rupturam, nemo non facile animadvertet me solutionem consensu adhibere quædam indiciones, quæ uti sectione

partium diversarum diversa est, ita quoque diversas sustinet causas, ut alia sit *ἑλᾶσις* contusio, alia *ἀνάβρωσις* corrosio, alia *τομή* sectio, alia tandem *πᾶσις* extensio, quam, si nimis valida, *ρήξις* ruptio sequitur.

§. 2. CAUSÆ REMOTIORES sunt Humores tūm quantitate & motu peccantes, tūm qualitate. Inprimis accusatur humiditas excrementitia pituitosa, quæ ubi adhæret ligamentis laxando tonū hunc morbum inducit. Unde etiam *Averroes* inter causas internas solam retulit humiditatem lubricativam, quæ facillè laxare membranas potest. Nam præterquam quod pori diducantur, etiam non recte nutriuntur. Accedit, quod sæpè postea evocato calido innato putredo subsequatur, ubi teste *Avicenna l. 21. pen. tract. 4. c. 5.* facillè accidit, ut planè ruptura quoque superveniat.

§. 5. TEMPERAMENTUM frigidum & humidum quam plurimum conferre potest. Facit enim, ut cumulentur humores pituitosi. Refert *Petrus Forest. l. 28. de morb. mul. Obs. 35.* se vidisse mulierem albam & totam pituitosam, quæ hoc morbo laboraverit. Quò referuntur vitia, quæ hæreditaria vocamus, quando herniosus herniosum generat, ita sæpè etiam hæreditarius sit hic morbus.

§. 6. Inter RES-NON-NATURALES primo loco refertur *Aer* frigidus, & humidus quando frigidiori & humidiori se exponunt aeri, facillè enim intemperies frigida potest induci. Ita observatum est à *J. Silo. Comment de mens. mulier.* quod ex diuturna sessione super lapidem subsequutus fuerit uteri prolapsus. Lapidem enim cum fiat frigidus, frigidam intemperiem induxerunt. Tempus hybernum. *Loca humida*, ut & crebra aquæ innatio, de qua *Forestus l. c.*

§. 5. CIBUS & POTUS, frigiditatem quæ inducit, & pituitam generat, maximè culpandus, de quibus verò *Charlet. Scibitius de aliment.* SOMNUS nimium excedens calidum imminuendo & per consequens pituitam generando obest. Nimius motus hic non omittendus, ita magni ponderis elevatio, cursus velox, saltatio, equitatio intempestiva, exercitium omne nimium à *Jacobo Ruffio de muliebr. l. 6. c. 9.* accusatur. *Parvus* addit totius corporis sursum per graviditatis tempus extensionem & commensionem.

§. 6. Præprimis inter excreta & retenta nimius mensū fluxus, tum etiā mensū suppressio culpanda. Ille quidem, quod nimium lubriciter, uti nuper audivi de foemina quadam, ubi post nimium menstruorum fluxum uterus fecerit, Hæc autem quod menstruorum pondere ma-

rix degravata, ruptis ligamentis sæpè in præceptis descendere cogatur.

§. 7. *Animi Patbemata* tandè non sunt omittenda, ubi multum confert Veneris appetitus singularis, ipso quoque *Aristotele* l. 7. de *Hist. anim. c. 2.* adstipulante.

§. 8. *RES - Præter - naturam* nunc succedunt, ubi primo loco ponenda ipsa Uteri & Ligamentorum *intemperies* frigida & humida, quæ ut plurimum in culpa est; facit enim membra laxa, præsertim membranosa. *Partus difficilis* ubi ob nimios conatus ligamenta rumpuntur; egregiè hoc explicat *Akakia de morb. mulier. l. 1. c. 10.* exemplo luctatorum, ubi dum alter alterum prostrare conatur, ipse quoque concidit. *Violenta* fœtus, itemque secundinarum extractio utramque paginam facere videntur. Quam faciliè enim rumpi poterunt ligamenta vi ista adhibita! Tusis tandem claudat agmen, quæ dum diaphragma deprimatur, uterum simul deprimat.

### CAP. III.

De

#### DIFFERENTIIS.

§. 1.

Qui benè distinguit, benè solvit, vulgatissimum est; quo & nos invitati triplicem statuimus differentiam, 1. ratione GENERIS mutatio alia est magna, ubi etiam extra pudenda ad femora instar ovi struthiocameli procidit. Ita notat *Schenckius lib. 4. f. 707.* humani capitis magnitudine aliquot anas salva vita propendisse. Et hæc species aliàs propriè *Prolapsus* dicitur. Alia est parva, ubi tantum intra vaginam vel paulum extra pudenda conspicitur uterus; & dicitur à nonnullis *Descensus*. Quam distinctionem cum *Fernelio* agnoscit *Rodericus à Castro de morb. mul. lib. 2. c. 16.*

§. 2. Alia est simplex alia symptomatibus stipata. Ita ut sæpè superveniat febris, Inflammatio, gangræna, quale exemplum refert *Forestus lib. citato.* Tenesmus, alia.

§. 3. Ratione SUBJECTI iterum est duplex, vel enim fundus os uteri tantum extra vaginam pellit; vel interior facies per ipsam vel laxiorem, vel apertam, instar ovi struthiocameli prodit conspicienda. Quod fieri potest cum extractione secundinarum, ubi ad eò adnata sunt, ut simul per os uteri sequatur fundus.

S. 3. Verum enim verò hic obicem nobis ponunt Veteres, *Aetius l. 16. c. 78. Paulus l. 3. c. 72.* & cum iis recentiorum nonnulli, negantes omnimodam uteri prociidentiam; moti propterea (1.) quod præter ligamenta, quæ difficulter rumpantur, (2.) etiam venis & arteriis uterus sit stipatus, (3.) vagina quoque undique adnectatur membranæ, quæ non faciliè ruptum permittant & (4.) nulla fieri posset curatio. Sed præter Auctoritatem Hippocratis lib. de Morb. mul. etiam experientia id variè testatur, quod sæpè usque ad femora processerit, vide plura apud *Franc. Rousset. de part. cas. sect. 4. c. 5.* Ipse quoque *Aetius* nolens volens hoc fatetur, dum concedit magnitudine ovi struthionis ad femora prolapsi; quod sanè sola cervix esse non potest. Et potest quoque ex signis differentia cognosci, de quibus suo loco. Ad rationes faciliè potest responderi, concedimus ligamenta, arterias, venas, & reliqua, interim tamen non est impossibile, quod possint vi quadam & violentia perumpi. Unde etiam concedimus, quod ruptis venis sanguis prorumpat & effluat. Curam si non veram, tamen palliativam, recipit.

S- 4. Ratione *Causarum* tot sunt differentiæ, quot causæ. Potissimum tamen ratione internarum & externarum alius prolapsus est à laxatione, alius à ruptura. Alius ab humoribus, & putredine, alius à causis violentis, & aliis,

## CAP. IV.

de

### SIGNIS.

S. 1. Signa cum sint τὸ τῆ ἀόηλης δηλωτικόν, ut *Autor definit. Medic.* loquitur, meritò sunt magnificianda. Faciliè autem cognoscitur & visu & tactu, si aliquis tumor instar ovi in vagina uteri deprehendatur. Opus tamen habemus ΔΙΑΓΝΩΣΕΙ, ut affectum cognoscere possimus (1.) Ratione *generis*. An *descensus* an verò *Prolapsus* sit, cognoscitur è tumoris magnitudine: In hoc sæpè instar magni ponderis extra pudenda prominet; in illo in vagina tantùm percipitur. *Ab excrescentia clitoridis* distinguitur quod in illâ oblongum quid extra pudenda; hæc autem aliquid rotundum promineat.

S. 2. Ratione *subjecti*. Si solum ipsius collum sit prolapsum, non verò fundus tum conspicitur in ipsius extremitate foramè, quod os ipsius uteri est ad collum attractum, & ab ipsius uteri corpore depressum. Tunc etiam vix ovi magnitudinem æquat. Sed si per foramen illud, os scil. uteri laxatum, totum corpus prolabatur, foramen non adparet.

**Præterea magna est rotunditas & representat serotum viri inflatum, & ut aliis Galenus. 14. de usu partium uterum vocat serotum inversum, de quo Seibiz. Exercit. item Kyper. in Antropogr. magnitudinem canthari æquare putat Franc. Rouffet. l. c. inferius est rotunditas non parva, in medio autem manifestè ab ore uteri coarctatur; & si super illam coarcturam ligatio fiat, dolor exquisitus oritur,**

§. 3. Idem Rouffetus à menstruorum fluxu signum petit, existimans à fundo uteri, non autem à solo collo promanare, Ita enim Veteres statuerunt foeminas per venas fundi purgari, Vesalius l. 5. d. hum. corp. fabr. c. 15. & alii, quos v. ap. *Sebizium Exerc. Med. 39. probl. 2.* Verùm hoc signum non admittimus, dum per colli arterias menstrua excerni cum modernis statuimus. Adi sis nobis suffragantem *Excell. Dn. D. Joh. Theod. Schenck. P. P. Jenensem celeberrimum, Præceptorem meum fidelissimum & Parentis loco devenerandum in Exercit. Anatom. §. 9. c. 25.*

§. 4. Ratione CAUSARUM & quidem an ab humore vel pituitoso, vel putrescente, laxatio suborta sit, patet ex temperamento pituitoso & alia causa humiditatem & frigiditatem inducente. Cum primis autem ab humoribus si orta est, insensibiliter sine dolore delabitur; & humore putrido genitalia semper madent, præ primis tempore coitus. Si à putredine sanies putris & virulenta simul effluit.

§. 5. Si verò à rupturâ quâdam accidat prolapsus, insignes dolores in dorso, inguinibus percipiuntur, sanguis quoque propter vasa supra plurimus erumpit. *Hippocr. l. 2. de morb. mulier.* hæc quoque signa adfert; nimirum pedes secundum digitos convelli, & præsertim in parte unguibus proximâ. Dolent quoque crura & femora. Ratio est, quia nimirum ligamenta superiora cum musculis dorsi conjunguntur, unde illis ruptis, dolor itidem in iis à solutione continui suboritur. Quod autem femora simul doleant, sit propter tensionem ligamentorum inferiorum, quæ ad femora & crura descendunt.

§. 6. Difficultate partus si contigerit, per pudenda quidem in univensum se non exeret, sed laboribus maioribusque exercitiis impulsu procurret, & inter labia compressa magnos dolores movebit, teste *Jacobo Ruffio de morb. mul. l. 6. c. 9.*

§. 6. Ratione *symptomatum*, si inflammatio adsit, calor febrilis habet pudendum & imum ventrem v. *Hippocr. l. 2. de morb. mul. §. 4.* si mulque ex propriis signis cognoscitur.

§. 8. Sequitur ΠΡΟΓΝΩΣΙΣ, futura quæ sunt circa salutem, & Mortem,



Mortem, prospiens. Ratione **GENERIS** equidem dicit omnem mutationem uteri esse periculofam; cumprimis tamen, quæ extrà uterum ad femora usque est, arguit enim rupturam ligamentorum. Aliàs quòd gravior vel levior prolapsus, eò etiam ad restituendum difficilior vel facilior erit.

§. 9. Si inflammatio conjuncta est aut gangræna malum, quia parva membranosa.

§. 10. Ratione *subjeæ* facilior curatio est, si uteri interior membrana æri non exponatur per prolapsum, nam ob ambientem aerem, quod membranosis valdè noxius, facilè alteratur uterus. In *Juvenibus* etiam, cumprimis si morbus adhuc recens, facilior reponitur, quàm in *senioribus*, quæ frigida ac siccoris naturæ.

§. 11. Ratione *Causarum* spes facit equidem non parvam sanitatis, si tantum *laxatio* ab humoribus adsit, non *ruptura*. Laxata enim quamvis ligamenta sint, tamen nondum planè eorum unitas manifestè soluta est, unde spes per adstringentia juvandi. Si autem *ruptio* adest, metuendam est, quod dixit *Hippocrat. 504. Coac. præn. sect. 2. & l. 6. aph. 19.* de partibus membranosis, quod præcisè, ita etiam rupta, non coalescant.

§. 12. Si à *putredine & corruptione*, nulla spes salutis, sed optimum erit, si abscindatur.

§. 13. Si à *partu difficili* spes dubiam facit. Ita *Rouffetus* talem non potuit reponere, *sect. 4. c. 5. hist. 3. de part. casar.* Alii tamen feliciter reposerunt, sed summa cura adhibita.

§. 14. *Schenkius l. 4. observat. refert*, quod mulier quædam propter uterum cum secundina prolapsum mortua sit, accedente simul diarrhæa. Curavit tamen non semel talem prolapsum sine diarrhæa *Hildanus Observ. Chirurg. cent. IV. obs. 60.*

§. 15. Ad **SALUTEM** eventus terminabitur per modum (1.) faciliter peractæ repositionis (2.) facilis in hærentiæ (3.) symptomatum graviorum absentia. Ad **MORTEM** autem contrario modo se habente, cumprimis accedentibus gravioribus symptomatibus. Ita multæ intra paucos dies, febribus, deliriis, & convulsionibus correptæ, vel gangræna interiora occupante repente interierunt. Lentè tamen, si illico mitigentur symptomata, interim tamen uterus propendet semper, ut *Coitum* quidem admittant, sed *infecundum*, & difficilem. Tunc autem benè agitur cum ægrotæ, si abscisso utero ipsi superesse datum est.

**N**unci ipsa affectus CURATIO tradenda est, quæ nititur *indicationibus*, & à rebus vel p. n. Morbo, causa, vel f. n. Viribus nimirum desumuntur.

S. 2. A Morbo sumitur *indicatio Curatoria*, quæ jubet ut pars prolapsa in locum suum restituatur, estque vel *vera*, vel *palliatiua*. Vera, si ita reponitur, ut amplius non decidat; palliatiua, si ita curatur, ne impediatur, vel ut plane auferatur.

S. 3. A *Causis* indicatio *Præservatoria* descendit; & postulat, ut *Humores*, si quantitate peccent, *diminutione*: si qualitate, *alteratione*; si motu, *interceptione* corrigantur.

S. 4. Per accidens dolor quoque & alia symptomata sui mitigationem, si urgeant, expetere videntur.

S. 5. *Vires* cum totius corporis, cum præcipue uteri confortantia indicant.

S. 6. Ut recte agamus MATERIA è triplici usitatorum præsidiorum Fonte petita opus est.

S. 7. CHIRURGI ante omnia se Nobis offert, promptiora promittens auxilia, & curationem aggreditur (1.) *Repositione* (2.) *Deligatione* (3.) *Abscissione*.

S. 8. *Repositio* in locum naturalem vel digito saltim fit, si prolapsus exiguus erit. Tunc enim alvo laxato, & sufficitibus aut aliis medicamentis adhibitis, de quibus infra, ægra super dorsum resupina collocatur, ita ut coxas altiores habeat, & poplites incurvatos, cum cruribus diductis; deinde obstetrix aliqua vel chirurgus immittit digitum, oleo mastichino inunctum, & leniter impellendo in locum naturalem reducit.

S. 9. Si autem major sit prolapsus, quàm ut possit digitis curari, ita ut iterum, reducto digito, prolabatur. *peffus* immittunt, variè à variis qui perficiuntur. *Sculterus in Armam chirurg. p. 57. candelam* ex cera & assa foetida confectam suaque crassitie muliebri vaginæ respondentem citra violentiam intrudit. Vel etiam circulum buxeum. Nec dissvadendum erit, si *Metrenchytra*, tubus plurimis foraminibus perforatus, adhibeatur, de quo *Galenus l. 9. de compos. med. sec. loc. c. 8, & l. 5. meth. med. c. 5. Rocheus de morb. mul. c. 6.* talem præscribit:

Sem. myrthi, thuris, gallar. galbulor. cupress. ana ʒj.  
c. Oleo myrth. F. Pessarium.

S. Mutterzöpflein.

Pessum uterinum per 14. annos feminam gestasse testatur *Schenk. Obseru. l. x.* qui etiam subortis doloribus ægre fuit exemptus. *De pessis* verò pluribus *Sennert. in Praxi.*

S. 9. Alii globulos adornant vel ex subere, quales adhibuit *Hildanus Obseru. chirurg. 61. cent. 4.* ubi duos depingit, unum rotundum, alterum ovalem, qui tamen prius cerato calido sunt intingendi, ut porositates impleantur. vel ex glomere filorum convoluto, qui in cera dissoluta tamdiu agitetur, donec planus & æqualis fiat. Quo usus est *Arnold. Weiskard. in Thes. Pharmaceut. p. 1. 6. 19. p. 357.*

S. 10. Canto tamen hic opus, ne inflammatione adhuc presente intrudatur, unde illa prius debellanda. Clyster quoque antea injiciendus, ne feces repositionem impediant.

S. 11. Peculiarem modum suadet *Roderic. à Castro de morb. mulier. l. 2. c. 16.* quem *Andreas Valaccer Chirurg. Salamanticens.* in reponendis intestinis ex vulnere prolapsis adhibuit. scil. cauterium actuale ignis manu ostendet & simul et Medicus inuisionem, tunc natura retrahitur. Mures vivi filo ligati cruribus submittantur.

S. 12. Nec omittendum *naribus Suaveolentia* ut adhibeantur, nisi mulier hystericeis passionibus obnoxia, *inferius autem graveolentia.* De quibus in Pharmacia. His enim adhibitis sæpè ultrò recedit.

S. 13. *Cucurbitula magna sine scarificatione* cum multa flammâ Umbilico apposita valdè proderit, in dorso quoque una affigatur. *Nicolaus Rosbeus* Mammarum radicibus admovet cucurbitulam. Ita enim ob constrictionem cutis & musculorum in loco suo detinetur uterus.

S. 14. Reposito ita in locum utero, *deligatio* erit necessaria, ne iterum prolabatur cum globulo uterus. Ante omnia tamen emplastrum agglutinans & adstringens regioni umbilicali adponendum. Postea vinculum quoddam adhibeatur, quale aliàs in herniis Virorum adhibetur, ita tamen ut inferius foramen exiguum adsit, per quod urina excernatur. De iis videatur *Pareus. l. 7. c. 15.* quò factò per 8 vel 9 dies mulier in lecto quiescens jaceat pedibus conjunctis vel uno super altero positis.

S. 15. *Abscisso* tandem adhibenda, ubi planè nulla spes est salutis v. gr. si gangræna adsit, quæ adhibitis remediis non possit sedari, tunc  
ante

enise recidendum erit, ne pars sincera trahatur. Potest enim sine periculo vitæ uterus excindi, prout plurima extant exempla apud *Rousserum lib. sup. cit. de part. cas.* Inter alia refert, quod nobili Matronæ Västineti *Chirurgi Patruverenses* totum uterum; cujus pars inferior propendens magnitudinis duorum pugnorum planè livida fuit, excueverint. *v. Avenzoar. l. 2. tr. 5. c. 4. Aeginet. l. 3. c. 72. Anton. Beniven. lib. de abdit. rer. caus. c. 11. Zacut. Lus. de P. M. l. 3. Hist. 7.* alii, qui videantur. Idem hic modus observandus erit, qui aliàs in aliis gangrenosis partibus, de quibus *Cels. l. 7. c. 33.* Cujus operationem, ut obiter nosem, equidem damnat *Aquapend. in Chirurg.*

§. 16. Ex fonte Chirurgico V. S. quoque sese offert, quæ in inflammatione, vel obstructis mensibus, aut cum impetu fluentibus magnum remedium est; imminuitur enim sanguis & æstuans ventilatur. In eligendis venis non adeò sumus curiosi; Saphena tamen incidenda, si menses suppressi; ut sanguis ad inferiora derivetur.

§. 17. Scarificationes & frictiones partium vicinarum ne affluxus fiat sanguinis, hic exsulent. Ligationes tamen brachiorum, ne humores cum impetu in uterum ruant, svadentur.

§. 18. PHARMACIA alter tons remediorum jam excutiendus; qui ante omnia svadet, ut alvus subducatur. Id quod semper fieri debet antequam uterus reponatur. Lenientia primum locum obtinent, inter ea, quæ sensibilibiter evacuant, & conducunt hic *manna, fol. senn. rhubarb. resin. therebinth. &c.*

§. 19. PURGANTIA *nadaquid* an sint adhibenda, dubitamus, quod semper motu ventriculi etiam adficiatur uterus; unde planè etiam *Hippocrates* & alii ea improbant, ne magis deorsum moveatur Uterus. atque propterea potius *Emetica* commendant, ut hæc ratione sursum simul cum ventriculo moveatur. Præterea metuendum est, ne tota humorum copia in partes inferiores confluat, quod facillè fieri potest propter imbecillitatem uteri; cum aliàs omnes partes imbecilles humores tractione quadam ad se trahant, reliqua viscera quoque pulsione quasi ad eas depellant. In quam opinionem etiam consentit *Zacutus. l. 6. Quod* si tamen magna adsit pituitosæ materiæ copia, ipsa quoque purgantia locum habebunt, cum pituita magis deorsum quam sursum vergat. Pituitam purgant *Agaricus, Hermodactyli, Mechoacanna, Jalap. Euphorb. Sarcocolla.* E quibus variæ conficiuntur magistræ formulæ, quarum copiam vid.

¶ *ſc̄s in yēvū l. 9. ſect. 4. c. 10.* Commendantur unice ſerè Pilulæ, quoniam  
in forma liquida medicamenta non conveniunt; laxant enim eò magis.  
Conducunt *pil. de agarico*, additis trochiſc. de *myrrb. aut diaphœnic.*

§. 20. Itaque potiùs Clyſteribus alvus erit laxanda, his enim non  
ad eò commovetur ventriculus. Varia ubi viſunt obvia; præ cæteris  
tamen ſequens conducibilis videtur: *R. Spec. decoct. emoll. carmin. aa.*  
*mij. fol. lauri m̄ſ. ſem. cumin. carv. aniſ. aa ʒj. Coq. in ſ. q. Aq. comm.*  
*Calat. R. ʒvj. vij. diſſolve Elect. de bacc. laur. lenitiv. aa. ʒvj. vitell.*  
*ovī no. 1. F. Clyſter.*

§. 21. Quod ſi tamen enemata ſolum modò non ſuffecerint, VOMI-  
TORIA in auxilium vocanda ſunt. Benè tamen attendendæ circum-  
ſtantiæ, an collum oblongum habeat ægra, an latos humeros &c. Com-  
muniter adhibetur *Aq. benediſſa Rulandi. Quercet. Oxyſacchar Angel.*  
*Sala. ⊕ ⊕*; de quo *Angelus Sala in Emetolog. c. 4. p. 499. Deum teſtor,*  
*inquit, quod inter medicamenta vomitoria omnia nullum obſervaverim*  
*magis univerſale & benignum, quam hoc ipſum ⊕ ⊕.* Aliàs quoque  
commendatur *Mercurius vite, diaſarum Fernelii & alia.*

§. 22. Diaphoretica quatenus frigidam materiam attenuant & inci-  
dunt, locum merebuntur, præmiſis tamen univerſalibus. Laudatur  
*M̄ ſura ſimplex. Spiritus theriacal. camphorat. Tinct. Bezoard. Ma-*  
*gnifici D. Michaelis Patroni & Præceptoris mei ſummi. Eſſent. Bezoard.*  
*Catholica D. Waltheri Præſtici. Hamburgens. celeberrimi, quæ ex CC. ſin-*  
*gulariter paratur. Antimon. diaphor. recens tantum in uſum eſt vocan-*  
*dum, aliàs ſi ultra dimid. annum præparatum ſit vomitum potiùs movet.*

§. 23. Diuretica non ſunt omittenda, ne urina impediatur reſolutionem,  
ad quod præſtat ſp. *Therebinth. ſpr. ⊕. oculi ⊕ &c.*

§. 24. ALTERATIONI tandem ſequentibus conſulendum eſſe ſua-  
demus. *Inflammationem* ſiſtere poteſt *cataplaſma* vel maſſa lini cruda  
cum lixivio acri decocta & expreſſa. Alia quoque *epithemata* ex ſuc-  
cis *umbilici veneris, polygon. pampinor. vitis, portulac. plantag. qui exci-*  
*piantur linteolo & utero imponantur. Si tumor adfuerit, emolliendus*  
*erit decocto è flor. cham. matr. rad. alb. ſem. lini, ſenugr. &c.*

§. 25. Adſtringentibus & ſiccantibus laxitas ligamentorum & ru-  
ptura, tum quoque humida intemperies uteri alteranda. Humiditas &  
frigiditas alteratur per calida & ſicca tanquam contraria. Qualia ſunt  
*nard. vulgar. ſalvia, cyperus, cubeba, nux moſchat. maſis. Alchimilla,*  
*quinquefolium, galla, ſuccinum.* E quibus tam interna quàm externa  
medi-

medicamenta parantur. Specificè contra prolapsum dicuntur prodesse  
*myrtus, urtica, cotonea, galla, pyra, acacia, lentiscus, bitumen, bo-*  
*vinum stercus.*

§. 26. Internè necessum est ut adhibeatur *Essentia traumatica D. Mi-*  
*chaelis. Essent. Hyperici. Magist. ocul. B. Margarit. vel sequens pulvis:*  
*Rx. Terra sigill. boli armeni prepar. a. ʒij-*  
*ocul. B. sanguin. drac. ver. aa. ʒij*  
*lapid. hamat. ʒijʒ.*

*Sacch. canariens. opr. ʒiij*

*M. F. Pulvis. D. ad scat.*

Vinum medicatum si lubuerit, tale poterit parari.

*Rx. rad. torment. bifort. symph. aa. ʒj.*

*Herb. berniar. pilosell. plantag. a. mj.*

*flor. Hyperic. acac a ʒij. Ex incisis fiat nodulus S. Anhaltens.*  
*büschlein zum Wein.*

Tinct. & adstringendo quod operetur, valdè commendatur. Notandum  
tamen cautè procedendum adstringentibus, ne menses plane sup-  
primantur.

§. 27. Externè adhibeantur *Pulveres*, quibus conspergatur ut  
*Theod. Corbejus in Pharm. bipart. p. 203.* ossa dactylorum sub-  
mè pulverisata commendat, si adspargantur utero.

*Fomentationes* quoque non sunt negligendæ, antequam repo-  
natur: parantur ex *decolto fol. lauri, mentasfri, abrotani, artemisia &c.*  
Fiunt inde sacculi quibus species insuntur, & imponuntur utero ut ca-  
lescat. Commendantur aliàs quoque *fol. querc. muscus prunor. Sylvest.*  
*Oetiam. rad. tormentil. bifort. symphiti, & quæ sunt alia.*

§. 28. *Suffitus* quantum profint, omnes Practicorum libri loquuntur,  
omnes quoque eos commendant, tum quod exsiccant, tum quod; quod  
graveolentia plerumq; recipiant. *Platerus* suffitigium ex *stercore*  
*vaccino*, alii ex *ramis bucci* adornant. *Mynsichtb.* commendat subm-  
de *hypocistide* quod vide in *Arman. med. Sect. 10 p. 191.* *Suffimentum im-*  
*periale* v. apud Eundem. Omnia tamen longè superat *pelvis angvilla*, si  
incendatur. Placent etiam trochisci pro suffitu ad protideandum uterũ  
*Corbei. lib. c. p. 340.*

§. 29. Ut autem inferius graveolentia, ita superius graveolentiæ  
sunt adhibenda, qualia sunt omnia balsama odorata. Hic mirari

p. 69. qui materiae tangibili hoc describit v. quid statuatur *Kyperus in Anthropogr. l. c.* de atomis optime res explicari possit.

§. 30. *Inseffus & Balnea*, ex moderatè adstringentibus si parentur, & per horam ægra infideat, mirè proficiunt. Materiam superiora suppeditabunt.

§. 31. *Unguento Comitisse* cum croco ꝑ adstring. & oleo Mastich. inungatur dorsum. itemque Ol. quod extat ap. *Rosentrenker p. 80.*

§. 32. *Emplastra* tandem, ultimo loco, quæ primo ponenda erant, subjiciuntur, debent ea esse adstringentia, quale est *emplastrum contra rupturam commun.* *emplastr. magnet. Rumelii.* *Empl. contr. rupt. Fel. Wurtz.* *Comitiss. de Mastich. de sicc. rubrum, de Pelle. ariet. pro matrice.* R. *emplastr. alicujus prescripti* ℥ij. *pulv. sangu. dracon. bol. arm. bistort. cyperi a.* ℥j. malaxentur cum ol. *myrtina* addendo ceram q. s. F. *emplastr. v. Primerof de morb. mul. l. 2. p. 153.* Non improbat *emplastr. magneticum à Balduino Glodio de Ol. destill. p. 61.* relictum, *Egregium* quoque *emplastr. v. apud Zacutum Lusitanum. l. c.*

§. 33. *Euporistum Craton. l. 5. f. 163.* referente *Hefer. l. 7. c. 2 p. 279.* claudat agmen. Ita autem à *Cratone* proponitur: R. tantum pinguedinis quantum pro frigendo ovo satis est, ovum infunde & torree donec inficat, pinguedinem elue aqua, slotæ adde pulv. nuc. mosch. Medium impone putamini ovi vel nucis juglandis, & applica umbilico, repetendo si evanuerit vel exiccatum fuerit sæpius.

§. 34. *Dolar* & alia symptomata si urgeant, & ut simul *Vines* rescificiantur, sequentem potiunculam possumus offerre;

R. *Confect. alkerm.* ℥℥,  
*extract. anodyn. Hildan.* ℥℥.  
*Aq. cinam.* ℥℥.

Cum decocto *agrimonie, veronica, liquiritie, ac semiv. anisi* F. potiuncula 3. horis post Cœnam. *Gangrena* itidem ut in aliis partibus curatur.

§. 35. De *DIAETA* aliquid addendum esset; sed tempore & charta excludimur. Hoc tantum addo; victus sit moderatè adstringens; Venus ad aliquod tempus exulet. Hisce R. L. inter aliquot dies subnatis fave, & ignosce, obsecro, festinationi; meliora, si otium dabitur, promittimus,